

/ Illustris Domine. Accepi litteras tuas et simul librum quendam meum, a te translatum in gallicum idioma, cujus inscriptio est: de arte bene moriendi. Ago gratias humanitati tuae, quod laborem impendere volueris in opusculo meo nullius pretii, si eloquentia, vel
 5 doctrina consideretur: quamvis libellum utilem futurum lectoribus negare non possim. Ego certe in hac mea ultima aetate frequenter, et libenter eum lego: neque alia causa me ad scribendum ejusmodi libellum impulit, nisi magnitudo periculi, in quo versantur mortales omnes, cum ad exitum propinquant. His valeat nobilitas tua, et si quid
 10 possem in gratiam tuam hic facere, libentissime faciam.

Epist.fam. CLXXVI.